

memorata vehementius coartasset^a, nunc respondere consultibus vestris, innumeris impediti necessitatibus, parumper omitteremus^b. Verum a caritate tua unum hoc necessario postulamus, scilicet ut, cum aliquem forte ad apostolicam sedem miseris, studeat eum tua fraternitas monere, quatinus in redeundo non usquequaque^c festinus appareat, eo quod omnium Dei ovium^d, sicut ipse nosti, cura constringimur; et cum undique ad sedem apostolicam multi diversa quærentes confluant, efficimur tardi ad singulos, dum volumus benignitatem et dapsilitatem nostram spargere per diversos. Sane quæ in alia nostri apostolatus epistola beatitudini tuæ intimamus, solum tuæ sollertiae sint pervigili cura sectanda præcipuoque studio peragenda, siquidem circa nos circaque sedem beati Petri non est aliud signum devotionis tuæ, quod polliceris, nisi obtemperantia et consummatio decretorum et diffinitionum nostrarum, qui, licet indigni, per habundantiam tamen gratiæ Christi ipsius vicarii sumus. Præterea epistolam alteram¹ sanctitati tuæ delatam Hincmaro et ceteris confratribus nostris archiepiscopis in regno Karoli filii nostri gloriosi regis ecclesiam Domini gubernantibus destinare tua sine mora studeat beatitudo. Optamus sanctitatem tuam^e nunc et semper bene valere.

a) Aus 'coartassent' korr. b) Aus 'omittamus' korr. c) 'usquequæ' Hs. d) Von anderer Hand darübergeschrieben. e) Korr. aus 'quam'.

1) J. - E. n. 2764.
